



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

819. An permutatio inducat vacationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

permutatio, quam vocant triangularem, vel quadrangularem, ut dum Titius cedit beneficium suum Cajo, ut is cedat beneficium suum nepoti Titii, quia non sunt vera permutationes (urpote in quibus beneficium Relinquentis non obvenit Relinquenti) sed resignationes conditionales omnino prohibita, Castrop. loc. cit. citans Gonz. gl. 14. n. 58. Garc. p. 11. c. 4. n. 22. Azor. p. 2. l. 7. c. 30. q. 6. quin & simoniaca. Paris. l. 14. q. 7. n. 63. juxta dicta a nobis supra. Dicitur tertio, Beneficiorum; quia beneficium cum non beneficio non permutatur, intellige, priorum, sive in quibus permutantes jus habent. Unde & in priore definitione dicebatur: juris beneficium, praestatio; siquidem jus beneficiorum, neque cum jure alio ad aliud beneficium, neque cum jure alio in beneficio permutatur, de quo utroque paulo post.

Questio 816. An permutatio includat novam beneficiorum illorum collationem?

1. **R**espondeo: Admissionem resignationis hujusmodi reciproca esse tacitam illorum beneficiorum collationem; nec aliam eorum collationem de juris rigore necessariam esse; fieri tamen eam de facto ad securiorem permutationis expeditionem, tradit Gonz. gl. 14. n. 44. & gl. 15. § 2. n. 57. sic quoque Lott. l. 3. q. 19. n. 10. ait: permutatio secum trahit executionem, consumaturque in simplici Superioris admissione, adeo ut non sit necessarius actus collationis. citat pro hoc Innoc. in c. inter cetera. de prob. n. 3. Archid. in c. unic. de rer. permut. in 6. n. 2. ac praecipue Federic. de Senis cons. 73. n. 5. ad finem.

2. Contrarium tamen, nempe intercedere hic necessariò distinctam ab admissione collationem illorum beneficiorum, tenent probabilius Garc. p. 11. c. 4. à n. 85. citans Less. l. 2. de justit. c. 34. n. 197. & Castrop. loc. cit. ed quòd compermutantibus concedi nequeant beneficia priusquam vacent; illa autem non vacent, nisi per admissionem eorum resignationem, adeoque haec admissio necessariò precedere debeat collationem, & non possit fungi simul vice collationis, Atque ita etiam, si praesentibus permutare volentibus, & petentibus renunciationem suam admitti, & collationem hinc inde fieri, Episcopus diceret: placet nobis, & permittitur: etsi de subtilitate juris videri posset, & sustineri (ut ait Federic. apud Garc. loc. cit. n. 86.) illà brevi locutione illos resignasse, & Episcopus acceptasse, & contulisse; adhuc tamen non apparet, quomodo hic intercesserit vacatio, quae essentialiter supponitur ad collationem novam, ut rectè Garc. n. 87. intellige, si Episcopus uno eodemque indivisibili actu censeatur & admisisse resignationem, & contulisse (secus, si id fecisset duplici actu, quorum unus, nempe admissionis prior esset suo modo naturà altero actu collationis) adeoque id ipsum etiam, quantum est de subtilitate juris, adhuc non subsisteret; & consequenter non tantum tutius est, ut fiat expressa resignatio, resignationis admissio, & collatio, uti id servat consuetudo; sed & id fieri necesse est, saltem ut fiat collatio distincta ab admissione.

3. De cetero, etsi admitti non possit resignatio ex causa permutationis, quin simul admittatur conditio collationis faciendae illis compermutantibus, adhuc tamen illam admissionem non esse tacitam collationem ex eo patet, quòd taliter admitti possit resignatio, quin beneficia resignata collata

hoc ipso censeantur, vel etiam mox conferantur, dum etiam longo tempore post admissionem resignationem ex causa permutationis fieri potest collatio; imò saepe prius uni ex permutantibus, & postmodum alteri. Et Papa frequenter admittit talem resignationem, & uni ex permutantibus, quia Roma est, beneficium confert, alteri autem mandatum concedit in forma dignum. Ex quo manifestè constat, admissionem resignationis non esse collationem beneficiorum. Castrop. loc. cit. n. 3.

Questio 817. An nomine resignationis prolatò in dispositione aliqua veniat etiam resignatio haec reciproca, seu resignatio permutacionis gratia?

Respondeo negativè; praescindendo enim à materia subjecta aliud forsitan postulante, venit sola resignatio simplex, & non in favorem, qualis est haec resignatio permutationis gratia Gonz. ad reg. 8. gl. 14. n. 5. Chok. de permut. benef. c. 4. contra Paris. de confident. q. 25. n. 8. ubi est, quòd Constitutiones loquantur tantum de resignatione, nihilominus comprehendunt resignantes permutationis gratia; quia permutatio vera, pura, & simplex resignatio dicitur. citat pro hoc Rotam decis. 16. de rer. permut. in antig. Saru. de public. q. 3. n. 2. Sic gratia exspectativa: cum primò percessum vel decessum vacari, non capit beneficium resignatum ex causa permutationis. Gonz. loc. cit. n. 20. citans Paris. de resig. l. 1. q. 4. n. 29. Vide dicta à nobis supra, ubi, quanam resignatio veniat nomine resignationis.

Questio 818. An permutatio sit favorabilis, an odiosa?

Respondeo: esse favorabilem. Paris. de resig. l. 1. q. 18. n. 6. Gonz. gl. 14. n. 54. citans Mandol. ad Reg. de infirm. resign. q. 12. n. 3. & seq. dum è contra resignatio non reciproca in favorem certa personae est odiosa; quia per eam non providetur beneficiis, ut fit in permutatione, sed personis. Paris. loc. cit. Gonz. loc. cit. ex Mandol. ubi ante q. 13. majoresque dantur occasiones fraudis in resignantibus in favorem, quam in permutantibus. Gonz. loc. cit. n. 53. citans Mandol. ubi ante n. 1. & Gomef. ad reg. de public. q. 3. ad finem. Unde etiam permittitur permutatio fieri coram Ordinario, non autem alia resignatio in favorem. Gonz. n. 57. de quo infra.

Questio 819. An permutatio inducat vacationem?

Respondet Gonz. gl. 14. n. 50. beneficia, praecipue ad effectum vacationis non dici verè vacare ex causa permutationis; contra ex permutatione dari novam vacationem, tradit Lott. p. 2. q. 14. n. 8. & sicut per resignationem (intelligè puram, simplicem & non reciprocam) vacat beneficium, ita & vacare illud per permutationem, ait Paris. de confid. q. 25. n. 9. & de resig. l. 1. q. 5. n. 20. sic etiam Castrop. loc. cit. n. 2. ait, beneficia permutata prius per resignationem vacant, quam conferantur. Verum vide hac de re dicta sup. à ubi, qualiter resignatio conditionata inducat vacationem.

Questio 820. An ius ad beneficium permutari possit cum jure ad beneficium aliud, vel etiam cum beneficio?

Respon-